Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



4r

maxime vero quoad zelum justitiae, tanta est, ut aeterna Veritas de Joanne asseveret: Si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. Matth. XI, 14.

27) Luc. I, 8-23. Domus Zachariae ubi sita fuerit, quaritur. Epiphanius Vit. Prophet. c. 23: ὗτος ἦν ἐξ Ἱερουσαλὴμ ἐξ οἴκου Δαβίδ, ἀνὰ μέσον ἐλαῶν ἐν οἴκῳ Κυρίου. Urbusbic erat Jerosolymis e domo David in media portiu in domo Domini. Habemus proin locum nativitatis Zachariae, et genus ejus e domo Davidis, materum scilicet: nam paternum fuisse de domo Abiae sacerdotis, certum est. At non perinde locum domicilii ejus habemus. Luc. I, 39. 40: Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda: et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Domus ergo Zachariae erat in civitate in montanis seu monte Judae posita, et quidem in civitate sacerdotali; siquidem Sacerdotibus, excepto Pontifice, domicilium perpetuum nonnisi in civitatibus concessum erat a Josue cap. XXI, 9 et seqq. designatis: dedit Josue civitates, quarum ista sunt nomina, filiis Aaron per familias Caath Levitici generis (prima enim sors illis egressa est) Cariatharbe patris Enac, quae vocatur Hebron, in monte Juda, et suburbana ejus per circuitum -- Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron confugii civitatem, etc. Zacharias igitur Jerosolymis quidem prope templum natus, ubi tunc mater ejus de stirpe David, et forte Jerosolymitana, morabatur, postmodum tamen Hebrone domicilium fixit. Vid. Baronius Appar. § 77 et seqq.

28) Sequor eorum sententiam, qui annum Christi nascentis statuunt 4000 a urbe condita, non quasi omnino certam; sed ~~quia~~ ut probabilem, et pro hypothesi commodissimam. Vid. Joan. Berlius in Rud. Chronol. c. 10.

29) De die Annuntiationis et Conceptionis S. Joannis B. gravior nonnihil quaestio est. Joannes Nicanus Archiepiscopus de festo Natalis Domini